1719

Décret de l'Inquisition de Rome, du 3 aoust contre l'instruction pastorale de M. le Cardinal de Noailles Arch. de Paris dattée du 14. jan. 1719. donné le 3. Aoust aud. an 1719.

In congregatione S. R. E. et Universalis Inquisitionis habitâ in palatio Sanctorum Apostolorum Coram Sanctissimo Dominô Nostro Clemente divinâ Providentiâ Papa XI.° ac Eminentissimis et Reverendissimis dominis S.^tae Ecclesiae Cardinalibus in totô reip. Christianâ, contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a Sta Sede Apostolicâ ad id Specialiter deputatis.

Sanctissimus D^nus noster Clemens Papa XI.^us cum accepisset, non sine gravi paterni animi moerore, editum fuisse, et magnâ quidem bonorum offensione, atque animarum periculo, evulgatum librum, cui titulus est, Instruction pastorale de M. le Card. de Noailles Parisiis impressum apud joannem de Lespine An. 1719: habitis prius plurium doctissimorum ac insignium in Sacrâ Theologiâ Magistrorum ac professorum, nec non memoratae Congregationis S. R. E. et universalis Inquisitionis Consultoribus ut rei gravitas postulabat; et sub inde auditis votis Eminentissimorum et Reverendiss. Dominorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium in totâ Republicâ X^tianâ generalium Inquisitorum, prohibendum atque damnandum censuit, prout praesenti decreto omninò prohibet et damnat librum praefatum uti continentem doctrinas et assertiones falsas, captiosas, seditiosas, scandalosas, praesumptuosas, temerarias, omnibus

catholicos episcopos ac præcipuè Gallicanos, ipsique Apostolicæ Sedi multipliciter injuriosas, erroneas, hæreticis, hæresibus et Schismati faventes et hæreticas respectivè.

Hunc itaque librum sic prohibendum et damnandum Sanctitas sua vetat ne quis, cujuscunque sit status et conditionis, ullomodo et sub quocunque prætextu iterum imprimere vel imprimi facere, neque jam quocunque loco et quocunque idiomate impressum apud se retinere aut legere audeat, sed eum Ordinariis locorum aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim ac cum effectu tradere ac consignare teneatur sub poena excommunicationis per contrafacientes Ipso facto absque aliâ declaratione incurrendæ, aliisque poenis Arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

Josephus Bartolus S. R. E. et Universalis Inquisitionis Notarius. die 12. Augusti 1719.

Supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicæ Principis Apostolorum, Palatii Sancti Officii, ac in aliis locis solitis et consuetis urbis per me Sebastianum Vasellinum Sanctæ Inquisitionis Cursorem./.

Bullarium Romanum in fol. tom 8 pag. 44